



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum
dierum Quadragesimæ

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066405

95. Considerando Passionem Domini per varios Christi Passi intuitus, ex iis
eliciendo salutare affectus Animæ, Christo autem placitos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45427

da, profundenda, in omnem, & per omnem, z-
ternitatem.

MODUS XCV.

Nonagesimus quintus meditandi Passionem
Domini Modus esse potest: eam cum Scala
Jacob comparare, sive in eam scalam Jacobo pre-
monstratam invenire, & per illam post Christum
usque ad Deum ascendere.

In Scala Jacob, etsi plura possint considerari:
aliqua tamen solum hic attendere sufficiet.

Igitur scala illa uno extremo sui tangebatur ter-
ram, altero Cælum.

Latera habebat hinc inde duo. Gradibus
fuit distincta: Angeli per eos descendebant &
ascendebant. Deus in supremo scalam innitebatur.

Hæc Scala per allegoriam designat nobis In-
carnationem Verbi, & prescius etiam Crucem,
atque Passionem Domini nostri, per quam velut
per scalam & ipse ascendit in cælum, testante
ipso: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in glo-
riam suam.* & omnis Christianus post ipsum eo-
dem ascendere debet. juxta Domini quoque di-
ctum: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum,
tollat Crucem suam & sequatur me.*

Christus igitur Dominus, & Crux, atque
Passio, & tota Incarnatio, atque illius Oecono-
mia, Scala est.

Ejus unum extremum terram, alterum verò
Cælum tangit: tum quia Christus Homo, Deus-
que simul est, tum quia ita Verbum descendit in
terram, inque Virginis uterum, ut tamen apud
Patrem in sinu manserit in Cælo. juxta illud Do-
mini

g: ~~...~~
Bie
oper:
JOM
N
5

mini dictum. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius Hominis qui est in caelo.* quod Dominus dixit manens in terra de semetipso, nihilominus, & existente etiam in Coelo. Cui consonat & illud: *Unigenitus qui est in sinu Patris: ipse narravit.* Existens & vivens in terris inter homines, ipse enarravit hominibus Legem vitae, manens tamen in sinu Patris tanquam Unigenitus ejus. Adhuc etiam Scala hæc terram & calum tangit: quia Christus Incarnatione ac Passione suâ, Deum mundo reconciliat, hominibus in terra manentibus calum referat, & *errantes in desertis oviculas, bonus Pastor in Montana super humeros suos assumens defert.*

Lateræ Scalæ hujus nostræ duo sunt, inconcussæ ac simul altissimæ firmitatis. Divina scilicet Misericordia atque ejusdem Justitia. Istæ enim duæ Dei nostri perfectiones, atque tanquam Patris Cælestis Filiz, apud Patrem totam scalæ Machinam, totum (inquam) Incarnationis opus molitæ, atque architectatæ sunt: tanto Sapientiæ atque Potentiæ arcano artificioque, ut in summa Misericordia locus esset summæ Justitiæ: & in summa Justitia esset quoque locus suus, summæ Misericordiæ. quando, ita humano generi universo, per omnia calamitate perditioneque involuto, remissio peccatorum, & gratiæ, gloriæ, vitæque æternæ condonatio piissimâ miseratione, Unigenitique Dei merito indulta est, ut tamen Majestatis Dignitatisque Divinæ, ab hominibus læsæ, jus debitumque summo & exaggerato Justitiæ rigore, ejusdem Unigeniti Dei sanguine, Cruce, & Morte, ad omnem integritatem sarciretur. His ergo duobus fulta lateribus Scala ista

con-

Oriz
Ki
Cælesti
Cis III
V
8

constitit, & adhuc consistit. Quoniam Misericordia & Veritas obviaverunt sibi: Justitia & Pax osculate sunt.

Gradus Scalæ hujus Mysticæ variè distingui, assignarique possunt, Primò quidem secundùm totum Incarnationis, deinde secundùm solius Passionis opus.

Totus Incarnationis gradus hi assignari possunt. 1. Prædestinatio & Electio Christi. 2. Promissio illius Patribus. 3. Ejusdem Præfiguratio in figuris, & sacrificiis, aliisque ritibus, ac rebus. ut Tabernaculo, Arca, Templo, Altari. 4. Prædictio per Prophetas. 5. Incarnatio ipsa & adventus. 6. Nativitas, & tota vita occulta, privataque. 7. Baptismus apud Joannem, & Manifestatio Domini per vocem, & Columbe descensum super eum. 8. Mora in deserto, jejunium, & tentatio. 9. Prædicatio, conversatio, Miracula, 10. Ingressus in Jerusalem super Asellum, triumphalis simul & lachrymabilis. 11. Agni Paschalis esus, & lotio pedum. 12. Institutio Sacrificii & Sacramenti Eucharistie, Sacerdotiique Novæ Legis. 13. Passio universa. 14. Crux & Mors. 15. Sepultura, & descensus ad inferos. 16. Resurrectio, & Ordinatio, Confirmatioque discipulorum & Ecclesiæ. 17. Ascensio, & sessio ad dexteram Patris. 18. Regimen Ecclesiæ, & Missio Spiritus Sancti in eam. 19. Adventus ad judicium extremum, ipsumque judicium. 20. Regnum cum DEO Patre & sanctis æternum. Isti sunt gradus Scalæ Incarnationis, totiusque Operis illius.

Jam verò solius Passionis Dominicæ gradus sive partes & progressus hi assignari possunt quibus

G: —
 Bie
 opere
 TOM
 N
 5

quibus Dominus noster veluti per Scalam ad
 summitatem dolorum & Mortis suæ, obedientiæ
 autem Paternæ, & Redemptionis nostræ ascen-
 dit. Gradus 1. Lotio pedum. 2. Institutio Eu-
 charistiæ. 3. Cygnea ante Passionem cantatio,
 simulque ad Mortem, seu Morti par Tristitia. 4.
 Oratio repetita. 5. Agonia & sudor sanguineus.
 6. Obviatio venienti proditori, & hostibus, eo-
 rumque excæcatio, prostratio, sublevatio. 7.
 Captivitas, & ligatio. 8. Examen apud Annam.
 9. Judicium, injuriæ, damnatio apud Caipham.
 10. Repetita mane damnatio. 11. Ad Pilatum
 deductio, & calumniosa accusatio. 12. Dedu-
 ctio ad Herodem: ibi spretio, & illusio. 13.
 Reductio ad Pilatum, Examen, Flagellatio. 14.
 Corona spinea, purpura, arundo, illusio, Ecce
 Homo. 15. Eiectio damnationis, & damna-
 tio ad Crucem. 16. Egressus cum Cruce inter
 iniquos ad locum Mortis. 17. Crucifixio. 18.
 Injuriæ, & blasphemæ in Cruce. 19. Trium
 horarum Oratio & Agonia in cruce. 20. Mors
 & Anima in Manus Patris tradita, & sepultura.

Per istos gradus Dominus scalam passionis
 suæ pertransivit: per eosdem Anima fidelis il-
 lum sequi studeat fideliter, constanter, fortiter,
 gaudenter, sitibundè, usque dum ad absolutam
 consummationem operis sui perveniens, etiam
 ipsa in Manus Æterni Patris suscipiatur. seque-
 tur verò Dominum per affectus, & effectus
 Cordis, Oris, Operis, vel hos quos subjungo,
 vel quos Spiritus meliores suggesserit.

Primus erit, Agnitionis, seu Fidei eorum
 quæ Dominus gessit, ac pertulit patièdo. 2.
 Confessionis eorundem. 3. Admirationis. 4.

Parti-

Oratio
 Ki
 asce
 115 III
 V
 8

Participationis seu Condolentiae. 5. Coniunctionis causae in sua peccata. 6. Doloris, Odii, Execrationis eorum, ut causae tanti laboris sumptusque Domini. 7. Deprecationis. 8. Propositi fugiendi, & expiandi peccata. 9. Expiationis actualis eorum, in Balneo sanguinis & Meritorum Domini. 10. In Imitatione humilitatis Domini. 11. Obedientiae. 12. Patientiae. 13. Mansuetudinis. 14. Charitatis Dei. 15. Dilectionis proximorum etiam inimicorum. 16. Conformationis plenae cum voluntate Dei. 17. Zeli Gloriam Divinae, & salutis proximorum. 18. Desiderii, & studii vitae aeternae. 19. Amoris Iesu Christi. 20. Constantiae & perseverantiae in his omnibus, usque ad mortem, propter Deum. Hi sunt gradus per quos fidelis Anima post Iesum passum ascendere debet, si ad summitatem Scalae ejus cupit pervenire.

Basil. in 1. Pf. D. Basilius prescius hosce gradus Anima numerat, quos proderit cognoscere, & magis etiam decurrere. [Scala (inquit ille) est ascensus ad Perfectionem; culmen est Caritas; Gradus, sunt gradus decem Abrenuntiationis. Primus est, Abdicare terrena, ut cum Apostolis dicat. *Ecce nos reliquimus omnia.* 2. Eadem oblivisci. *Audi filia Ec. Et obliviscere populum tuum.* 3. Eadem ut stercora odisse & averfari. 4. Parentum, & cognatorum amorem exuere. 5. Odisse Animam suam propter Christum, ut ne de vita quidem sua quidquam affectus sit omnino, etiamsi Mortis habeat responsum. 6. Abnegare suum Judicium, Voluntatem, (Honorem.) 7. Semper mortificare suas cupiditates, ut impleat illud Christi. *Abneget semet-*

G: —
Bic
oper:
JOM
NE
5

femetipsum, & tollat Crucem suam quotidie. 8. Sequi Christum & discere ab eo, quia mitis est, & humilis corde. 9. Amare constanter & efficaciter proximos, etiam Inimicos. 10. In quo Dominus visus est, est adhærere Deo, eique in uno Spiritui uniri.

Descendentes per scalam & Ascendentes Passionis Dominicæ, quantum ad Nostrum propositum, sunt Judæi quibus Crucifixus JESUS scandalum: & Gentes quæ crediderunt in eum: & acceperunt potestatem Filios Dei fieri. Sic etiam per Passionem Domini, Judas descendit, Latro ascendit; Diabolus descendit, Homo ascendit. non enim Angelos, sed semen Abrahamæ apprehendit. Sic quoque per scalam Passionis, Caro nostra, & sensus descendit, Spiritus autem ascendit. Caro enim non prodest quidquam, sed spiritus est qui vivificat. Et Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futura. Sic quoque ipse Spiritus descendit usque ad contemptum, usque ad odium, ad annihilationem sui per, & propter exemplum Passi Christi, ascendit autem usque ad similitudinem, usque ad consortium, usque ad unionem, & identitatem Passi quoque Christi, qui enim adhæret Deo, unus spiritus est. ut dicat. Vivo autem ego, jam non ego: vivit verò in me Christus.

Denique, Christo Confixus sum Cruci: & stigmata Domini mei JESU Christi in Corpore meo porto.

Deus Scalæ Passionis Domini innixus est, quia Deus erat in Christo sibi reconcilians Mundum. & consummatâ omni Passione, Dominus dixit:

Pater

DI
KI
ascen
tis III
V
8

Pater in manus tuas commendo spiritum meum: & inclinato Capite emisit Spiritum.

Atque hic, & huc, debet esse cursus omnis Animæ currentis post Jesum per scalam Passionis ejus, quam ille percurrit prior, dans nobis exemplum, ut quemadmodum ille fecit, & nos similiter faciamus, sequamurque eum quam maximâ vicinitate vestigia ejus, ut tandem apprehendamus eum, teneamusque, nec dimittamus. Alioquin nihil prodest Christum sequi, si non contingat consequi.

Libet Modum hunc concludere Devotissimi Patris Bartholomæi Saluthii Inventionem, quam ille de Domini Passione per modum scalam conscripsit ad inflammandam devotionem in eandem, & sic se habet. Passio Domini mei Jesu Christi sit semper

- | | |
|--------------------|------------------------------|
| 1. Mater mea. | Mater mea, parturias me. |
| 2. Sponsa mea | Sponsa mea, amplectaris me. |
| 3. Soror mea. | Soror mea, orname. |
| 4. Amica mea. | Amica mea, ama me. |
| 5. Dilecta mea. | Dilecta mea, dilige me. |
| 6. Columba mea. | Columba mea, vohi ad me. |
| 7. Perfecta mea. | Perfecta mea, perice me. |
| 8. Unica mea. | Unica mea, posside me. |
| 9. Filia mea. | Filia mea, honora me. |
| 10. Fortitudo mea. | Fortitudo mea, defen- de me. |

G: ~~III~~
 hic
 opere
 TOM
 NE
 SE

- | | |
|-----------------------|-----------------------------------|
| 11. Schola mea. | Schola mea, instrue me. |
| 12. Dulcedo mea. | Dulcedo mea, recrea
mea. |
| 13. Doctrina mea. | Doctrina mea, doce me. |
| 14. Mensa mea. | Mensa mea, ciba me. |
| 15. Lux mea. | Lux mea, illustra me. |
| 16. Lectio mea. | Lectio mea, erudi me. |
| 17. Dux mea. | Dux mea, duce me. |
| 18. Camera mea. | Camera mea, recipe me |
| 19. Defensio mea. | Defensio mea, defen-
de me. |
| 20. Turris mea. | Turris mea, absconde
me. |
| 21. Oratio mea. | Oratio mea, trahe me. |
| 22. Sedes mea. | Sedes mea, accipe me. |
| 23. Columna mea. | Columna mea, sustenta
me. |
| 24. Hospes mea. | Hospes mea, hospitare
me. |
| 25. Civitas mea. | Civitas mea, recipe me. |
| 26. Contemplatio mea. | Contemplatio mea, as-
sume me. |
| 27. Domus mea. | Domus mea, circumda
me. |
| 28. Refectio mea. | Refectio mea, refocilla
me. |
| 29. Meditatio mea. | Meditatio mea, incen-
de me. |
| 30. Socia mea. | Socia mea, associa me. |
| 31. Nutrix mea. | Nutrix mea, nutri me. |
| 32. Spes mea. | Spes mea, conforta me. |
| 33. Fiducia mea. | Fiducia mea, assecura
me. |

V. P. Druz Op. VIII.

Tt

34. Con-

Druz
 Ki
 asce
 III
 V
 8

G: ~~III~~
 hic
 opere
 JOMI
 NE
 SE

- | | |
|----------------------|------------------------------------|
| 34. Consolatio mea. | Consolatio mea, con-
solare me. |
| 35. Sollicitudo mea. | Sollicitudo mea, vulnere
me. |
| 36. Portio mea. | Portio mea, quæta me. |
| 37. Requies mea. | Requies mea, inebria
me. |
| 38. Beatitudo mea. | Beatitudo mea, beati-
ca me. |

Hæc Saluthius.

MODUS XCVI.

Nonagesimus sextus meditandi Passionem
 Domini Modus esse potest: scrutando &
 investigando simulque admirando & contem-
 plando arcana fidei nostræ Christianæ, tanquam
 à Christo Domino nostro per Incarnationem,
 vitam, & Passionem, atque Mortem mirabiliter
 referata, atque manifestata: ita ut quæ ante
 Christi Domini adventum fuere valde occulta,
 & miris modis involuta, atque inumbata; hæc
 omnia sint per Christum in luce posita, & ad no-
 titiam omnium fidelium, etiam alioqui rudium,
 & simplicium deducta: in tantum, ut unus al-
 quis Christi fidelium, majorem notitiam lucem-
 que habeat in rebus & mysteriis fidei, quam ante
 Christum habuerint illi, qui erant Magistri in
 Israel: quod à Domino Nicodemus audivit, quæ
 ad eum venerat nocte, & quod patuit citò post
 Domini ascensionem, cum unus Stephanus
 Levita adolescens prævaluit Spiritu, & sapien-
 tiâ, mysteriorumque divinorum cognitione
 omnibus Doctoribus, Judaicarum Synagogarum

Joan. 3. 10.
 Act. 6. 9.